



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **In Genesis Enarratio**

**Chyträus, David**

**Vitebergæ**

**VD16 C 2625**

V. Cur oportuerit Christum virginis filium, & verum Deum & hominem esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

Gnate Dei effigies æterni uiua parentis,  
 Æterna uerbum mente satumq; patris:  
 Indutus nostra qui carne in Virginis aluo,  
 Humanum accedis, maxime Christe, genus:  
 Te pius Isacides compellat numine SILOH,  
 Quod teneræ es fœtus uirginis ipse tener.  
 Ac uelut inuoluens fœtum membrana recentem,  
 Dum rude sub matris pectore turget onus,  
 Mollis & admotus non est durabilis ullos,  
 Pendet & in Cotylis squalida tota nouis:  
 Sic infirma fuit caro tunc tua maxime Christe,  
 In cruce pro nobis cum lacerata fuit.  
 Indueras etenim mirando fœdere carnem,  
 Huic nostræ similem, supplicijq; ream.  
 Sed prorsus fragilis nos ipsi & sordida pellis,  
 Materna Chorion labe reumq; sumus.  
 A tamen hoc uiuet Chorion, quando induis ipse,  
 Voce tua sanans atq; cruore lauans.  
 Sic autem nobis diuina hæc munera dantur,  
 Cum discunt uocem, pectora nostra Dei.  
 Ac coetus ideo discentum Christe tueris,  
 Vt Chorion uerè sit schola casta tuum.  
 Ah tua tuta precor seruetur fascia SILOH,  
 Ne queat hanc ullus dilacerare furor.

V.

CVROPORTVERIT  
 Chris

*Christum ex Virgine nasci, & uerum  
Deum ac Hominem  
esse.*

Neceffe fuit Mesiam placaturum iram Dei aduersus peccata generis humani, prorsus expertem esse omnis peccati. Cum autem ex commixtione seminum propagetur natura immunda & polluta peccato, ut dicitur, Ecce in iniquitatibus conceptus sum &c. Christus efficacia Spiritus sancti in uirgine conceptus est, sine uirili semine. Et tamen ut esset semen Abrahæ & Adæ, & germen Dauidis, sumpta est massa sanctificata per Spiritum sanctum, & substantia uirginis, ut dicitur, Spiritus sanctus superueniet in te &c. Esaiæ 7. Ecce uirgo concipiet, & pariet Filium &c. Gen. 3. Semen Mulieris conteret caput Serpentis &c. Galat. 4. Misit Deus Filium suum natum ex Muliere. Ideo hic uocatur Siloh, id est, Virginis foetus.

Cogitent autem hoc in loco studiosi doctrinam, quæ in Ecclesia proponitur, de natiuitate & Incarnatione Filij Dei, quæ est unio personalis duarum naturarum, diuinæ de substantia Patris, ab æterno genitæ, & humanæ de Substantia Mariæ uirginis adsumptæ, in CHRISTO Mediatore facta mirando consilio diuinitatis, ut genus humanum ab ira Dei & æterna damnatione sufficienti  $\lambda\sqrt{\text{E}}$  redimeretur.

Ac duo-

Ac duodecim cause sunt, propter quas necesse fuit, Christum Redemptorem nostrum esse Deum, & hominem, quæ ut facilius intelligantur, Definitio Redemptoris seu Mediatoris consideretur.

Mediator est persona inter Deum irascentem peccato, & genus humanum reum peccati, & iræ Dei constituta, ut iusticiæ Dei satisfaciat, sustineat iram pro peccato, deprecetur pro nobis, & credentibus sua merita applicet. Ideo necesse est in eo duas naturas personaliter unitas esse.

Primum oportuit Redemptorem esse Hominem. Nisi enim massa humane nature à filio Dei assumpta sustentaretur, planè interijisset & in nihilum redacta esset hominum natura, sicut corpus non sustentatum ab anima in nihilum redigitur.

II. Quia genus humanum peccauerat, ordo iusticiæ postulabat, ut Homo poenam persolveret, scriptum est enim, Anima quæ peccauerit ipsa morietur.

Deinde oportuit Mediatorem esse Deum, propter Decem causas.

I. Oportuit Mediatorem patefacere arcanam Dei uoluntatem, & sapientiam de redemptione prolatam ex sinu Patris. Cum autem nemo norit Patrem nisi Filius, & cui Filius uoluerit reuelare, oportuit Filium DEI esse Mediatorem, Ἰσαγγέλιον Euangelij.

II. Ut sufficiens ἄνθρωπος pro peccatis hominum persolueretur, oportuit Redemptorem non modo hominem, sed etiam Deum esse.

III. Non tantum poenam pro peccatis persolui, sed etiam talem obedientiam prestari oportuit, quæ esset meritum propter quod nobis uera noticia Dei, Spiritus sanctus, uita & leticia æterna donaretur. Tale ἄνθρωπος est solius filij Dei obedientia.

IIII. Nulla creatura potuit sustinere & uincere iram Dei, & maledictionem Legis.

V. Solus Deus est καρδίου γνώσις Oportuit autem Mediatorem motus cordium humanorum nosse, ut & Hypocrisin à uera fide discernat, & inuocantium gemitus & uota exaudiat.

VI. Solius naturæ diuinæ & Emanuelis est, ubiq; adesse Ecclesiæ, defendere & eripere inuocantes ex omnibus periculis, depellere hostes.

VII. VIII. Solius naturæ diuinæ opus est tollere peccatum & mortem, & restituere iusticiam & uitam

tam

tam æternam. Vtrumq; autem est Mediatoris officium.

IX. Filius Dei uenit, ut destruat opera Diaboli, cuius tanta potentia est, ut nostra imbecillitate ipsi resistere non possimus.

X. Solius Dei est dare Spiritum sanctum, qui à Christo spiratur in corda Apostolorum, & omnium credentium.

## VI.

DE OFFICIO ET  
Regno Christi.

Verbum Iakah significat Auscultare, accipere doctrinam, & obedire præcepto. Inde Ikehath, auscultatio. Cum igitur prædicat Iacob gentes Messiam audituras esse, ostendit Christum fore non gubernatorem politicum, aut bellatorem, ut Iudæi somniant, Sed doctorem, qui arcanum consilium de Redemptione generi humano audiendum propositurus sit, ut Iohan. 1. dicitur: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis, dum & primis parentibus promissionem de Reconciliatione primus edidit, & deinceps omnibus temporibus solo VERBI sui ministerio, æternam Ecclesiam sibi colligit. Sed hæc doctrina de collectione & gubernatione regni Christi aliunde petatur.

Gentes